

canum rabies, et venenum lethale serpentum, et cruenta saevitia bestiarum? Gratulandum est, cum de Ecclesia tales separantur, ne columbas, ne oves Christi saeva sua et venenata contagione praedentur. Cohærere et conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum foecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.

VIII. Nemo existimet, bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleae tempestate jactantur, invalidae arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur et percutit Ioannes Apostolus, dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Hinc haereses et sectae sunt frequenter, et fiunt: dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero haec Dominus permittit et patitur, manente propriae libertatis arbitrio, ut dum corda nostra et mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum praemonet Spiritus Sanctus et dicit: Oportet et haereses esse, ut probati manifesti sint in vobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur: sic et ante iudicii diem hic quoque jam justorum atque injustorum animae dividuntur, et a frumento paleae separantur.

IX. Hi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus sedentes in pestilentiae cathedra, pestes et lues fidei, serpentis ore fallentes, et corrumpendae veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes: quorum sermo ut cancer serpit, quorum tractatus pectoribus et cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra ejusmodi